



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm


Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 33. De Dæmonio muto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

fore multo pulchriores & ornatiores, tum vt colligas te, regno cœlorum esse proximum, cum instar bonæ arboris virtutum flores ac fructus profers.



MEDITATIO XXXIII.
DE DAEMONIO

MUTO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. IESV demonium ex mutō, & cæco Luc. II. eijciente, quidam dicunt fieri in Beelzebub. &c. alij signum aliud quarunt.
- II. IESVS videns cogitationes eorum, dicit: omne regnum in se diuisum desolabitur, &c.
- III. Cum simile de forti armato Dominus attalisset, mulier quadam laudat Matrem, cui respondet Dominus: Beatos esse eos, qui verbum Dei audiunt & custodiunt illud.

PROPHETIÆ.

DEVS veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures surdorum patebunt &c. Isai. 35.

Sapientia aperuit os mutorum.

Sap. 10.

DOCV.

DOCUMENTA.

1. **T**RIA beneficia huic misero contulit Christus, vt iam perfectè videret, loqueretur, atque à Dæmone liber esset.

Nam dæmon conatur hominem in pluribus impedire, ne facile ad Deum conuertatur idq; facit. 1. auferendo illi oculos spiritales, quibus suam miseriam & peccati scditatem aspiciat. 2. mutum reddendo, ne vel ad Deum clamet, aut sua peccata perfectè confiteatur. Tu hæc impedimenta deuites, ac spem concipias venturæ salutis, quia Deo facillimum est omnia dæmonis impedimenta amouere.

2. Pharisei ex inuidia, odio, atque occulta malitia, hoc opus Christi tam bonum atque laudabile, in pessimam partem interpretantur, atque ingenti cum blasphemia, dæmoni adscribunt; turba simplici admirante ac laudante. Vt hinc colligas. 1. quã periculosum sit aliquid odij, inuidiæ &c. concipere, vnde postmodum grauissima peccata cõsequuntur. 2. affuescas cum hac turba simplici, aliorum opera mirari, ac Deum, in illis laudare, alioqui in varia peccata decides.

3. *Omne regnum in se diuisum.* Sicut caritas est vinculum perfectionis, & multorum bonorum spiritualium ac temporalium causa; ita contentio, alienatio, inuidia &c. plurimorum malorum causa est, atque euertit statum internum hominis priuati; tum religionem aut remp. integram, in qua tales pestes dominantur; vt tu has aliasq; similes tantorum malorum radices ex animo euellas.

4. *Iesus videns cogitationes eorum.* Illud est propriũ Dei, qui sibi singulariter hoc serua-

uit.

uit, vt cor hominis (aliàs *prauum & in-
scrutabile, vt ait Hieremias Propheta*) so-
lus perfectè cognoscat, & scrutetur: atque hoc
tibi debet esse frænum contra omne pecca-
tum (maximè contra cogitationes prauas, in-
tentiones minus rectas) quæ sæpè opera et-
iam per se optima deprauant, ac mercede pri-
uant.

5. *Cum fortis armatus custodit atrium.*
Innuitur miser status hominis peccatoris, cui
Daemon dominatur, abutens omnibus eius
potentijs & in eo tanquã in palatio residens:
vt timeas etiam initia paruorum peccato-
rum, per quæ daemon ad tale regnum in te sta-
tuendum ascendit.

6. *Fortior &c. vniuersa arma aufert.* Id
euenit in conuersione peccatoris, in qua
per contritionem & gratia infusionem om-
nia peccata destruuntur, & tolluntur quoad
maculam; sed remanent adhuc in potentijs
mali habitus acquisiti & inclinationes, phã-
tasia, &c. quæ sunt arma dæmonis, quibus pec-
catorem, etiam post conuersionem oppugnat,
hæc omnia paulatim, per mortificationem &
sensuum custodiam, tollenda sunt: aliàs dæ-
mon redit cum peccato, & fit status peior.

7. *Extollens vocem mulier.* Magna fuit
huius mulieris bonitas, pietas atque auda-
cia, quæ Pharisæis Christum contemnentibus
ac blasphemantibus tam libere & audacter il-
lum, eiusque matrem confitetur &
laudat. Vide plura superius.

part. 1. Medit. 34.

pag. 114.

MEDI-